



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructorii Conscientiæ R. P. F. Lvdovici Lopez Ordinis Prædicatorvm ...

In qua reliquæ materiæ quæ ad Instructionem Conscientiæ pertinent ex
Orthodoxis Ecclesiæ iudiciis & scholasticorum Theologorum, tum
Iurisconsultorum resolutionibus scitu perutiles latè & copiosè disputantur

López, Luys

Lvgdvni, 1588

De fructibus, an possessor bonæ fidei in vtroque foro faciat fructus suos
est quæstio proficua Theologis, & multo magis Iuristis vtriusque facultatis.
Cap. LXXXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41259

penitentiam cum ipso poterit dispensare. Colligitur hæc responsio ex primo cap. de usuris cap. plures: vbi solū dicitur, quod talis clericus v. lurarius manifestus ecclesiastici officij periculum patiatur, quæ verba insinuant suspensionem ab officio per sententiā inferendam, sed non sententiā suspensionis simpliciter ipso facto illatā esse, & colligitur etiā ex cap. quia. 2. de usur. vbi statuitur vt manifesti usurarij neq; ad communionem admittantur alternis. Circa quæ verba subnotat glossa dicens, nota quod hæc est pœna quæ primò imponi debet, ergo etiā clericis usurarijs manifestis pœna suspensionis simpliciter, id est quoad se & quoad alios non ipso iure est imposita, sed venit imponēda, sicut etiā clericis furibus notorijs, peruersis manifestis, falsis criminatoribus non est ipso facto imposita suspensio simpliciter, sed veniūt sic suspendēdi nisi notorij concubinarij sint, qui sunt suspensi, nā de iudicis cap. At si clerici decernitur quod dūmodo sint talia crimina propter quæ suspēdi debeāt, aut deponi nō imminetio suspendendi sunt à suis ordinibus, vel ab altaris ministerio perpetuo removēdi. ¶ At quod cum huiusmodi quoad suspensionē quoad se, imò cū adulteris suspēdis quoad se, & quoad alios, quando sunt notorij possit episcopus proprius dispensare patet de iudicijs cap. At si clericus, de adulterijs, vbi post peractam pœnitentiā episcopus fit facultas dispēdendi cum ipsis in adulterio, criminibusque inferioribus, non tamen cum homicida voluntario: etiam occulto. Immo dispensationem homicidij casualis posse committi episcopis Concilium Tridentinum indulget.

¶ De fructibus, an possessor bonæ fidei in utroque foro faciat fructus suos est quæstio proficua Theologis, & multo magis Aristi utriusque facultatis.

C A P. LXXXVI.

¶ Via in primo cap. de usuris fructus pignoris computandos esse in sortem diffinitur occasione hinc sumpta nonnulla dubia haud spernenda quippe quæ scilicet sunt necessaria huc aggregate curauimus. ¶ Igitur aliquam præmissa descriptione fructuum, simul cum distinctione materiam hanc aggrediemur.

L 5

¶ In primis

a ff. de pe-
tit. h. hered. l.
si à te. §.
fructus. &
l. placeat in
fine. C. de
fructib. §.
lit. expens.
b l. ex di-
uerso. C. de
rei vendic.
et l. certū.
eod.
c l. quari-
tur. ff. de
statu homi-
nis. §. 4.
q. 3. herma-
phroditu.
d l. si na-
uus. ff. de
rei vend. §.
l. domū. C.
eod.
e l. ancilla-
rū. ff. de pe-
tit. hered.

Qd. 1.

¶ In primis dicimus fructus dici, qui super sunt delictis expensis factis gratia fructuum quærendorum, colligendorum & conseruandorum. tam in bonæ quam in malæ fidei possessoribus, etiam in prædonibus. *

¶ Insuper de distinctione fructuum subiicientes dicimus quod fructus in corporalibus, de quibus loquitur Canonista auctore Battolo ^b quidam sunt naturales, vt nuges, pira, & poma, & huiusmodi sunt ea que natura producit, & sicut producit vtimur. ¶ Alij sunt partim naturales, & partim industriales, cuiusmodi sunt lac, lana, segetes, vinū, & huiusmodi, que sunt naturales fructus in quantum producuntur à natura, & industriales in quantum in alia specie eis vtimur ex industria. Et de his communiter dicitur, quod relinquuntur arbitrio boni viri, an sint naturales, an industriales, vt si plus versatur circa illos de industria hominis dicantur industriales vt de vino, lana, & oleo & huiusmodi, ^c si vero de natura, dicantur naturales. ¶ Alij vero sunt industriales solum, sicut qui ex artificio, & conuocacione, & huiusmodi acquiruntur, qui alio modo dicuntur ciuiles, eo quod non proueniunt ex re: sed hominis prouisione percipiuntur propter rem, vt est pensio domus, & huiusmodi, ^d & istorum quidem quidam sunt honestè percepti quidam inhonestè, vt si locauit domum ad exercendum quæstum inhonestum. *

¶ Sed iam his præmissis prima quæ hic oritur quæstio est, vtum bonæ fidei possessor fructus rei bonæ fidei possessæ faciat suos. Ad quæ quæstionem verbo fructus. Sylluester quæst. 1. omittam faciens istam quæstionem quatenus attinet ad forum contentiosum, citans caput. grati de restitutione spoliatorum, & l. ex diuerso, transiit ad expediendam eam, quatenus attinet ad forum contentiosum, sed nos quo iuristis etiam nos gratos exhibeamus, cum etiam quatenus ad forum exterius attinet compendiosè præstringere volumus.

¶ Igitur præmittimus quod fructus intelliguntur deductis necessariis impensis ff. de oper. ser. fructus, & de vsur. quod in fructus. & ff. man. qui mur. §. fin. art. 1. quæst. 2. vobis.

¶ Secundo quod nullus casus interuenire potest qui hoc genus deductionis expectari impediatur. arg. ff. famul. l. h. et

ere fundus, quæ st. r. responsione in fine & ff. sol. matri.
fructus, nisi in vno casu infra de dec. tua. addimus cum
glossa in cap. *gravis* de restitutione spoliatorum quod in
foro contentioso possessor bonæ fidei tenetur restituere
tantum fructus perstantes ante litis contestationem, & nõ
consumptos. Post litis vero contestationem vniuersos fru-
ctus tenetur restituere siue exstantes, siue consumptos,
quia iam ex tunc præsumitur mala fidem incepisse ha-
bere C. de rei vindicatione. l. certum. Circa quam glossa
distinctionem addendum duximus quod & glossa quæ st. 2.
causa. 12. canone non liceat tradit, scilicet quod cũ agitur
ex interdicto, vnde vi, veniunt fructus soluendi à tempo-
re deiectionis violentiæ, qua quis fuit à possessione expul-
sus. In cuius ampliorẽ intelligentiam glossa illo cap. *gra-
uis* de testi. spol. tradit quod possessor malæ fidei violenter
tenetur restituere fructus perceptos, & nõ solum hos, sed
& eos, qui percipi potuerunt per veteres possessores, vt ha-
bentur predicto capit. *gravis* & supra. eod. tit. ca. *conquerentes*
& supra de officio delegati. cum causa. & 12. quæ st. 2. non
licet in glossa fin. ¶ Si autem agatur interdicto ad peten-
dam fructus veniunt post litis contestationem etiam con-
sumpti, quia ex tunc videtur mala fide consumpsisse. ¶ Si
vero agatur interdicto de rei vindicatione, non veniunt
fructus percipiendi, si à malæ fidei possessore acquisita
sunt cum titulo, secus si sine titulo, aut contra legem.

Qd. 2.

¶ Porro quo distinctius procedamus quoniã de posses-
sore bonæ fidei cepimus edisserere, an fructus rei bona
fide possessæ faciat suos, quæritur an iste possessor bonæ
fidei in foro exteriori cogendus est restituere fructus
quos post litis contestationem percepit, eosque iam con-
sumpsit, & quidem iam ex parte supra ex dictis hæc quæ-
ritio expedita manet, sed summantes quæ supra non tam
diximus clarè, & adicientes quæ reliqua sunt digna no-
tato dicimus. Primò, quod loquẽdo in foro tantum ex-
teriori possessor bonæ fidei tenetur ad fructus exstantes
ante litis contestationem. ¶ Secundò quod fructus ante
litis contestationem consumptos restituere non tenetur.
¶ Tertio, quod post litis contestationem, talis bonæ fidei
possessor vniuersos fructus, restituere tenetur, siue quos
post litis contestationem perstantes inuenit, siue quos
post

post litis contestationem consumpserit, quia iam ex tunc mala fide censetur expendisse. Hæc omnia distinctus et illa glossa super cap. *gravis* de rest. spoliator. elieuitur.

Q^o. 3.

¶ Sed ne quid deficiat dignum adhuc quaerendo istamus an possessor bonæ fidei, postquam contestata est lis, aut postquam nunciatum est sibi rem esse alienam, et tunc iam teneatur de fructibus, quos sua negligentia et possessione non percepit? Et videtur quod non, saltem in casu, quo tantum nunciatum est ei rem esse alienam, nam secundum glossam super cap. *gravis* de restitutione spoliatorum, sola denunciatio non facit aliquem male fidei possessorem, desponsatione impuberum ad dissolendum, & ff. quod fal. tu. per totum: licet concedat quod in hoc petitione hæreditatis efficitur per denunciationem male fidei possessor, ita quod postea nihil alienare potest. Et de petitione hæreditatis. Item veniunt. §. quod autem. C. lxxv. autem si fundum. infra ubi allegata, loquitur in eo, qui habebat conscientiam rei alienæ secundum Ioannem Andr.

¶ Si igitur verum est quod ait, & sic probat glossa, licet quod sola denunciatio non facit male fidei possessorem, sequitur quod non ex eo quod possessori bonæ fidei nunciatum sit rem esse alienam, ideo deinceps fiat male fidei possessor, quod si male fidei possessor ex tali sola denunciatione non constituitur, sequitur quod de percipiendis fructibus & sua negligentia non perceptis non teneatur.

¶ Igitur pro faciendo satis quaestioni dicimus primo, quod postquam contestata est lis, possessor qui antea erat bonæ fidei, quia extunc non omnino præsumitur talis, deinde negligens fuerit in percipiendis ex possessione fructibus, ad eosdem etiam sua negligentia non perceptos damnabitur, quia extunc præsumitur malam habuisse fidem. Patet ex gloss. prædicta, & C. de rei vendic. l. si fundum, ubi universos fructus post litis contestationem restituendos decernitur, quod si universi sunt restituendi, ergo etiam qui percipi potuissent, & ex desidia, seu inertia talis possessoris non sunt percepti, vel collecti.

¶ Dico secundo loquendo de denunciatione, quod postquam ei, qui antea bonæ fidei possessor erat, nunciatum est rem esse alienam, quidquid sit de iure civili communis

per leges peculiare Hispaniæ tenetur restituere fructus
 tunc perceptos, & etiam sua negligentia non perceptos,
 nisi renuntiaverit vero domino penes se habere rem illam
 emptam, vel aliter illuc usque bona fide possessam, ut si ius
 non competit ad illam veniat petiturus illam, hoc assertum
 continetur partit. 3. titulo 29 leg. 5. & partita. 3. leg. 22. tit.
 1. de part. 6. titu. 14. leg. 4. per quas leges ius commune, vel
 dictam glo. videtur moderatum in eo quod aiebat solam
 denunciationem non constituere aliquam malæ fidei pos-
 sessorem, quod verum habet secundum has partitæ leges,
 si ille bonæ fidei possessor simul ac nuntiatum est sibi se
 retinere alienum, debitam adhibuit diligentiam in nun-
 tiando domino, ut si quid iuris obtineret in ea, venire in-
 teraturus, aut postulaturus, quia tunc hac adhibita dili-
 gentia si dominus pigriter venire ad petendum, vel ta-
 liter distet, quod admonitio hæc sibi fieri non possit, non
 propter solam sibi factam denunciationem desinet esse bonæ
 fidei possessor. Secus si ipse admonitus hæc admonitionem
 prætermiserit facere, quia ab hoc tempore censebitur ma-
 lam fidem habuisse, quare ab eodem tempore fructus per-
 ceptibiles, & sua incuria non perceptos, per sententiam si
 conuincatur, restituere cogetur.

¶ Tertio dicimus, quod bonæ fidei possessor ut qui,
 quia emit rem, bona fide possedit rem, si non seruauerit
 emptionis pactum, & ratione pacti violati in foro extero-
 ni venditio rescinditur, simul cum re empta tenebitur resti-
 tuere fructus. Habetur partit. 5. tit. 5. l. 3. sibi que venit impu-
 tandum, eo quod violauerit pactum. ¶ Idemque est dicen-
 dum de fideicommissario hærede, quando non est de
 descendens, quia fructus cum hæreditate resti-
 tuere tenetur.

¶ Quarto dicimus quod emptor rei qui fuit possessor
 bonæ fidei etiã si emptio facta bona fide, postea rescinda-
 tur poterit sibi retinere fructus: nisi in casu supradicto,
 ubi contractus dicitur rescisus, eo quod emptor conditionem
 positam in contractu seruare noluerit. l. 46. tit. 13. par-
 tit. 5. ut si postea ab eodem emptore venditor suam posses-
 sionem redimeret, posset emptor reuendens eam, re-
 tinere fructus.

¶ Præterea quoniam iam in foro contentioso quod Q. 4.
 de

de possessore bonæ fidei dicendum erat quoad fructuum retentionem vel restitutionem explicuimus, nunc quid in conscientia dicendum sit explicandum restat. ¶ Igitur quoad conscientiam dicimus cum Sylvestro hoc esse tenendum primo, quod possessor bonæ fidei quantum attinet ad conscientiam, omnes fructus tam naturales, quam industriales siue cum titulo, siue sine titulo possideat, restituere tenetur, si perstent, quia res suo fructificat domino, deductis tamen expensis, & laboribus, & quantum sua industria meruit. ¶

¶ Sylvest.
verbo, si
lit. §. 2.

Q. 5.

¶ Sed iam perget quis inquirere, quid si talis bonæ fidei possessor tales fructus iam consumplerit. ¶ Ad hoc secundo dicimus, quod ex fructibus bona fidei durante consumptis solum tenetur restituere in quantum est inde factus locupletior, puta quia eos fructus in eam rem impendit, in quam oportuisset expendere tantum de suo, vel aliqua ex fructibus huiusmodi emit, ex quibus ampliavit patrimonium suum, & Veruntamen secundum omnes talis possessor bonæ fidei restituendus fructus industriales rei lucrosæ, seu fructiferae inde diminuet, & sibi accipiet, & vendicabit quantum industria sua in dicto negotio impensa in utilitatem, seu augmentum dictorum fructuum accipiendorum extimatur est, quia nemo militat suis stipendijs.

g. l. c. r. i. l.
si me. c. 1.
T. i. i. m. ff.
si cert. pet.

Q. 6.

¶ Sed quid an possessor bonæ fidei, scilicet custos, aut depositarius teneatur restituere lucrum, quod sibi comparavit ex re, quæ de se non est lucrosa, ut puta de pecunia apud se deposita. Respondetur ex mente D. Thom. quod non tenetur restituere, quod ex tali pecunia elucrat, quia talis pecunia non est de se fructifera, sed tale lucrum suæ industriae debetur, tenebitur tamen restituere, vel damnum, vel lucrum cessans, si ex mora soluetur pecuniam depositam aliquod damnum emergens fructibus, aut cessans lucrum. Vide de hoc Sylvestrum restituio p. mo. §. primo.

h. D. T. o.
2. 2. q. 77.
art. 3.

Q. 7.

¶ Sed quid si ex tali consumptione fructuum bonæ fidei possessor non evasit locupletior, respondetur plana solutio quod tunc non factus locupletior de consumptis fructibus bona fidei durante, non tenetur, quia ex quo dolo non desijt possidere iam non tenetur, neque ratione

l. i. r. r. m.
ff. de petit.
in red.

accepta, neque ratione iniuste acceptionis.

¶ Deinde si querat aliquis an iste bonæ fidei possessor quo peritantes fructus restituere non cogatur in foro exteriori, aut in conscientia possit se protegere titulo vsucapionis triennalis Respondetur ex sententia Sylvestri verbo fructus. §. tertio, primò quod secundum Panormitanum fructus naturales indubitantes vsu capiti per triennium est spatio triennij vt notatur l. sequitur. §. i. ff. de vsucapion. & facit l. in bello. §. si quis seruum. ff. de capt. sed loquendo de bonæ fidei possessore, & de fructibus quos iam fecit suos, non potest eos vsucapere, quia quod meum est vsucapere non possum. l. in bello. & videtur textus in dicta l. sequitur. §. lana.

¶ Deinde dicimus, quod bonæ fidei possessor fructus quos iam fecit suos bene vsucapit spatio triennij aduersus iudicis officium per quod eos restituere tenebatur, patet hoc, quia possum præscribere rem meam aduersus actionem, quia poteram cogi ad eius restitutionem, vt est textus in d. §. si quis seruum & hoc voluerunt sentire glossa, & Bartolus. h.

Q. 8.

¶ Sed quid in conscientia? Respondetur quod in conscientia, post triennium bona fide tractum, possessoris bonæ fidei erunt fructus omnes qualitercumque, neque eos petende restituere tenebitur.

k d. l. sequitur. §. fructus. ff. de vsucap.

¶ An mala fidei possessor teneatur ad restitutionem fructuum, & in quot & in quibus grauatur emptor male fidei, & quid causet malam fidem, & an venditor bonæ fidei emptorem suum teneatur seruare indemnem restituendo si res sit aliena.

C A P. L X X X V I I.

Deiussa iam materia de bonæ fidei possessore, quoad ius restituendi fructus de iure restitutionis quo ad mala fidei possessorem superest vt agamus. Sed antequam questionem aggrediamur, per necessarium erit quis mala fidei possessor, quis vero è contrario bonæ fidei dicatur esse, quam prædissinitionem à Panor. in c. grauis. de rest. sup. par. sumendam esse duximus, is namq; ibi ait, mala fidei possessorem cum esse, qui possidet re, & scit ad alium pertinere,